

# Altera Apologia pro

REGE CHRISTIANISSIMO  
contra Cæsarianos, in qua de causis belli inter  
Regem & Cæsarem recens orti breuissimè & ve-  
rissimè agitur.



*Bibla*

LVTETIAE,

Apud Carolum Stephanum, Typographum Re-  
gium, è regione scholæ Decretorum.

M. D. LII.

Cum priuilegio Regis.

COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM





## Altera Apologia pro Rege

CHRISTIANISSIMO CONTRA  
Cæsarianos, in qua de causis belli inter Regem  
& Cæsarem recens orti breuissimè & verissimè  
agitur.



**O**STENDI superiore  
Apologia Cæsariano-  
rum in accusando Re-  
ge leuitatem & impu-  
dentiam, confictaq; ab  
illis de re Turcica mē-  
dacia tam multis per-  
spicuisque rationibus  
refutauit, vt cum æquis  
rerum æstimatoribus,  
tum omnibus veritatis studiosis abunde satisfac-  
tum esse putem. Nunc eas causas explicare in-  
stitui, quæ Regem in Cæsarem concitarunt, vt  
quando nec fœderibus steterat, nec legibus ob-  
temperarat, Rex animû ad arma cōuerteret, qui-  
bus non solum dignitatem & existimationem  
tueretur, sed suas, suorumque fortunas ab iniuria  
vindicaret: eaq; conseruaret quæ alioqui ad præ-  
dam & libidinem hostis acerrimi patebant, nisi  
quammaturrimè eius conatibus obuiam itum

ad defectionē sollicitat clientes & ministros a mi-  
corum, & contra illos coniurare inducit, quibus  
sacramento obligabantur. Qui turbat pacem pu-  
blicam, violat foedera, amicorum dignitatem in-  
fringit, omnem honestatē proterit atque concul-  
cat. Qui queritur Turcas sibi bellum inferre, & is  
infert Christianis. Qui Regem societatis Turci-  
cæ insimulat, quam ipse stipendio depenso redi-  
mit: ac post, cum è re sua videtur, dirimit. Postre-  
mò, cui omnes libertatis retinēdæ cupidi, & tran-  
quillitatis publicæ amantes, arma inferre debent,  
vt nimiam eius ambitionem coerceāt atque re-  
frænēt. Sed Rex multo iustius, qui est ab eo pro-  
uocatus & laceffitus: præsertim cum in hoc bello  
agatur salus sociorum atque amicorum, agatur  
libertas communis: pro quibus optimus quisque  
vitam profundere, nedū fortunas periclitari ho-  
nestum putat.

F I N I S.

